

00

kt

S. C. 132

vgl an Id 2087

Theol.

IV. C. 3.

e

5

DISSERTATIO
DE
GALATIS

SECTIO I.
DE
**GALATARVM AVT CELTARVM
APPELLATIONE**

QVA
EX LEGE
SERENISSIMAE FAMILIAE
SCHOENAICHIANAE
ORATIONI

IN CONDITI FRIDERICIANI MEMORIAM
D. XII. IVLIIHORA X. MATVTINA

HABENDAE
PRAEFATVR
ERN. AVG. SCHVLZE, M.
SCHOLAE FRIDERICIANAE RECTOR.



cc 726

FRANCOFVRTI ad VIADRVM,
TYPIS IOANNIS CHRISTIANI WINTERI,
ACAD. REG. TYPOGR.



21719






PROOEMIUM.




GALATAE, quibus acceptam referre debemus epistolam, quam illis inscripsit Apostolus Paulus, originem suam debent Celtis, aut Gallis. Gallorum enim res validiores olim fuere. Fuit tempus, quum Galli Germanos virtute superarent, et vitro bella inferrent, ac propter hominum multitudinem, agrique inopiam, trans Rhenum colonias mitterent (*a*). Omnis hæc Gallorum regio in partes tres diuisa erat, quarum unam incolebant Belgæ, aliam Aquitani, tertiam, qui ipsorum lingua Celtæ appellabantur (*b*): Prisco Tarquinio Romæ regnante Ambigatus, qui Celticum tenebat, vt regnum prægrauante turba exoneraret, Bellouesum, ac Sigouesum, fororis filios, impigros iuuenes, cum trecentis hominum millibus ad nouas, quas Dii auguriis dedissent, sedes quærendas ablegabat. Sigoueso fortibus dati Hercinii saltus, Belloveso haud paullo lætorem in Italiam viam Dii dabant (*c*) Sigouesi exercitus per plures barbarorum strages in Pannoniam penetrauit. Ab hinc Galli isti mouerunt in Thraciam, atque omnem demum Asiam velut examine aliquo impleuerunt. Tantus ibi terror Gallici nominis, et armorum

rum inuisa felicitas, vt reges orientis neque sine mercenario Gallorum exercitu bella gesserint, neque regno pulsi ad alios, quam ad Gallos confugerint. In auxilium igitur a Nicomede, Bithyniæ rege, invocati, regnum parta victoria ceu victores diuiserunt: eaque regio deinceps Gallogræcia cognominata est (d). In Galatarum rempublicam, acque historiam singulari cura inquisiuerunt duumiri Celeberrimi, *Pelloutier* (e) atque *Wernsdorffius* (f) excitati a Parisiensi humaniorum literarum academia, quæstione de Galatis ad certamen eruditis propofita. De Gallorum coloniis haud ita pridem doctissime egit Celeberr. *Schappstinus* (g). *Æt Java* iam quædam dabimus. Nomen Galatarum, aut Celtarum explicare conabimur; differemus de lingua Galatarum, atque antiquitates aliquas Celticas proferemus, quarum vsus esse potest in explicandis quibusdam locis epistolæ Pauli. In tria igitur segmenta, quam de Galatis accepimus, diuidetur differtatio.

- (a) *Iulius Cæsar* de B. G. L. VI. 24. atque ex illo *Tacitus* de Mor. Germ. c. 28. Ipsa auctorum verba nobis iam præstruenda dāmus.
- (b) *Cæsar* de B. G. L. I. c. 1.
- (c) *Liuus* L. V. c. 34. *Iustinus* L. XXIV. 4.
- (d) *Iustinus* l. cit. et L. XXV. 2. *Liuus* XXXVIII. 16.
- (e) In *Histoire des Celtes*.
- (f) In *Libro de Republica Galazarum*.
- (g) In *Vindiciis Celticis*, quibus originem, atque primam Celtarum patriam Gallis vindicauit.





SECTION I.

DE

GALATARVM AVT CELTARVM APPELLATIONE.

§. I.

GALLIA omnis, vti iam in prooemio ex *Cæsare* diximus, diuisa erat in partes tres, quarum vnã tenebant Celtæ, qui ex vsu Romano etiam Galli appellabantur. Celtas Galatas cognominatos esse tradit *Appianus* (a). Et Galatæ nostri in Asia iam degentes vocantur Galli, Galli scil. Asiatici, aut orientales, atque Gallogræci. In numis occurrit nomen ΚΑΛΑΤΩΝ (b). Nomina Galatarum, aut Calatarum, aut Celtarum, vti recte iam obseruauit *Wernsdorfius*, non differunt nisi pronuntiandi modo. In eruenda igitur huius nominis origine ad varias eiusdem pronuntiationes nobis iam attendendum est, repertoque Galatarum nominis fonte Celticæ nomenclaturæ patebit origo.

(a) L. I, c. 3. p. 10. edit. *Kubnii*.

(b) Duplicem huius typi numum ex *Golzio*, atque *Begero* adduxit *Wernsdorfius* in L. iam cit. p. 66.

§ II.

De Celtarum appellatione iam plures prostant coniecturæ. Quilibet enim, licet linguarum non satis gnarus, ingenio suo indulgere solet. At iisdem recensendis, atque perstringendis iam non immorabimur. Plures ita comparatæ sunt, vt vel risum mouere queant lectoribus. Quas-

dam ad rectum fontem accedere videmus, quas propterea annotabimus.

§. III.

Quum Galatæ nostri ex Gallia progressi sunt, denominationis huius, quæ ipsis indigena est, origo inter Gallos, gentesque iis confines quærenda est. Galatæ, quod memorat *Hieronymus* (a) propriam linguam eandem pene habuere, quam Treuiri. Treuiri teste *Tacito* (b) circa affectationem Germanicæ originis vltro ambitiosi erant, tanquam per hanc gloriam sanguinis, a similitudine et inertia Gallorum separentur. Gallorum, atque Germanorum lingua in multis vocibus cum Græcorum idiomate conspirat, vt has linguas haud incongrue eiusdem matris filias dixerimus. Inter Græcos, atque Germanos vocabula quædam nomini Celtarum consona deprehendimus, quæ simul legere licebit.

(a) In prooemio L. II. in Galatas p. 172.

(b) *De, M. Germ.*, c. 28.

§. IV.

Græcis κελῆς est equus defultorius, δρομικός ἵππος, vt auctor Etymologici explicat. Voce iam vsus est *Homerus* in *Odyss.* L. V. v. 371. de Vlysse, qui naufragium passus fractis tabulis enatabat:

Ἄμφ' ἐνὶ δρυάτι βαίω, κελῆθ' ὡς ἵππον ἐλαυνών.

In unum lignum conscendit, velut equum impellens.

Apud eundem in *Il.* L. XV. v. 679. κελητίζειν:

Ὡς δ' ὅτ' ἀνὴρ ἵπποισι κελητίζειν ἐν εἰδώ.

Vt autem quum vir equis defultoriis vti bene sciens.

Vocem ita explicat *Didymus* in Scholiis: κελητίζειν: ἵππον κελητῶ ἐλαυνεῖν. Κελῆς, ὁ μονάμπυξ παρα το κελειν, το βαδιζειν. Ὅθεν και κελευθος. Ἐπει το παλαιον ὡς ἐπιπαι τοῖς ἀρμασιν ἐρχωντο. At κελῆς non solum equum, sed et equi-

equitem denotat. Ita interpretatur Suidas. Hinc Alexander in literis ad Darium apud Curtium L. IV. c. 1. Darium Hytaspis F. Celerem appellat: *Rex Alexander Dario. Celes, cuius nomen sumfifli Darius - - (a)*. Hinc Romulus, quos ad sui corporis custodiam legerat, equites, celes nominabat (*b*). Romanis equestres statuæ vocabantur Celetes, de quibus Plinius L. XXXIV. c. 5. *Equestres statuæ Romanam celebrationem habent, orto sine dubio a Græcis exemplo, sed Græci Celetas tantum dicabant in sacris victores.* Eidem L. V. c. 8. *Celetizontes sunt pueri equum regentes singularem.* An igitur ab equis deducenda erit Celtarum appellatio? Ita visum est quibusdam. Et vocabulum aliquod Germanicum, quod equum denotat, atque cum nomine Celtarum conspirat, et Celtas aliquos, qui suis equis gaudebant, hic sistere possumus. Nobis equus gradarius aut tolutarius vocatur *Zelter*, Heluetiis *Zaltner*. Celtas equis insignes dedit Trebellius Pollio in Claudio c. 6. *Denique Scytharum diuersi populi, Peucini, Trutungii, Austrogothi, Viringii, Sigipedes, Celtæ etiam et Heruli prædæ cupiditate in Romanum solum, et Rempublicam venerunt - - c. 9.* Quid bouum barbarorum nostri videre maiores? Quid ouium? Quid equarum quas fama nobilitat *Celticarum (c)*? At nequaquam hic iam apud equos subsistendum atque a Celtis quibusdam, quorum equos fama nobilitauit, arcessenda est omnium Celtarum appellatio.

- (a) *Freinshemius* in notis. Insignis scilicet Celes, aut equus Darius Hytaspis fuisse fertur. *Freinshemius* coniecturam facit vltimum Darium hoc nomine fuisse illud, adeoque sic legendum esse *Rex Alex. Dario Celeri*. Ille cuius nomen sumfifli - - Vltimus enim ille Darius ante regnum Aftandes, id est curfor, seu veredarius fuerat
- (b) Vid. *Vossius* in *Etymologico lingue lat.* ad vocem *Tribus*.
- (c) *Salmasius* in notis Celtas hosce Thraciæ Celetas esse coniecit, qui diuisi in maiores et minores, quorum hi sub Rhodope, illi sub Æmo habitant; et equi Threcisci celebrantur antiquis.

§. V.

Græcis κελυς etiam denotat nauim actuariam, vnde diminutiuum κελυτιον; hinc et Latinorum *Celoces*. Et alia nauigiorum nomina his consona addere possemus. An igitur Celtis ab equis in nauigia descendendum erit, ita vt quasi oraculo quodam moniti se iam mœnibus ligneis munire debeant? Riuulos tantummodo iam sectamur, vt ad fontem accedamus.

§. VI.

Non incongrue cum *Homero* in *Odyss.* L. IV. v. 708. naues vocaueris ἀλος ιππες. Eundem in modum in *Edda* Islandica naues vocantur fluctuum equi. Apud Germanos, quod iam alii obseruauerunt (a), pleraque equorum nomina etiam tributa sunt nauigiis, ea scil. nomina, quæ a ferendo, aut eundo originem suam traxerunt. In lingua Scytho scandica, vt alia viris doctiss. iam notata mittamus, et equus, et cymba nominatur *Far*, a *Fara ire, proficisci* (b). Equus alias *Skiot, Skiut, Scut*, equus equitationi aptus *Reid-skiote*, equus vectarius, *Fararskiotur*, nauis pariter *Skiut*, vel *Skuta*, et *Schuyte* (c). Vox hæc tenenda est in eruenda Scytharum nominis significatione: Doctissimus *Pelloutier* huius nominis radicem constituit Germ. vocem *Zichen*. Quamuis vero hæc nimis adhuc remota videatur, omnino tamen talem fuisse dixerimus, quæ notionem eundi, atque proficiscendi inuoluit.

(a) Vid. *Wachterus* in *Glossario Teut.* ad vocem *Pferd*, et *Theoph. Sigfr. Bayer* in *Dissert. de Varagis* in *Commentariis Academia Scientiarum Petropol.* T. IV. p. 303.

(b) Vid. *Verelius* in *Indice lingue Scytho-scandicæ*, vt et *Magnus Olauus* in *Specimine Lexici Runic*, quod *Wormius* locupletatum Hafniæ a 1650. edidit.

(c) Vid. *Lundius* in notis ad *Leges W. Gothicas* p. 125. et *Pering-fkiöld* in annotat. ad *Vitam Theodeyici a Cochleao conscriptam*, p. 409. vbi plura nantium nomina recensentur.

§. VII.

§. VII.

Talis significatio etiam tribuenda est radici nominis Celtarum, utpote quæ et equis, et nauigiis, et Celtis conuenire potest. Græcis κελειν aut κελλειν, *ire*, vel *currere*, unde Latinorum Cello, et quæ hinc formata sunt vocabula. Germanis *Galeithan*, *ire*, *abire*, quæ vox passim apud *Vlphitam* occurrit, apud *Keronem Kaliden* (a) Cambris *Cilid*, vel *Ciliad*, *profugus* (b) Heluetiis adhuc *Zeltmen*, *Im Zeltgon*, *toluim incedere* (c) Hinc Germanis simul quondam *Zelter Ambulator* (d) En notionem, quam quærimus! En easdem, quas hæc vox cum nomine Celtarum subiit, imutationes!

(a) Vocem iam obseruauit *Schilterus* in *Glossario Teutonico*, at minus recte per *gelassen* explicat

(b) Vocabulum hoc iam ad nomen Celtarum contulit *Wachterus* in *Gloss. Teur.*

(a) Vid *Pictorius* in dictionario *Germ: Latino*

Dictionarium hocce perrarum plura egregia ad linguæ veteris Germanicæ notitiam continet. Plura hinc in suos usus conuerterunt *Spelmannus*, *Keyserus*, *Eccardus*, aliique viri Doctiff. Heluetiorum dialectus, ob suam, quam redolet, antiquitatem meretur ut idioticon aliquod ex ea construatur. Plura quam quadringenta linguæ veteris Germanicæ spolia ex eadem collegimus, ad aliorum in hoc genere studium excitandum vnum, alterumue exemplum adducere liceat:

Schal aut *Schol* Heluetiis *Macellum*. Hinc *Soloduri* platea macelli, vbi in lapide domus cuiusdam insignis illa *Dæ* Eponæ inscriptio legitur, *Schal*, aut *Scholgasse* appellatur. *Gruterus* in *Corporibus Inscrip. Antiq: T. I. p. 87.* inscriptionem hanc referens, et significationem vocis *Schol* non intelligens, plateam hanc viam *Scholasticam* vocat.

Laachbaum Heluetiis arbor in confinio posita. *Laachelen* idem quod illis *ausmarcken*, certis nominibus, aut incisionibus definire, Gothis quondam *Leban*. Hinc *Doctiff. Rothius* in *Disquisitione de nominibus vocabulisque, quibus Medicos, eorumque artem appellarunt veteres Germani* p. 104. nomen Medicorum *Lach* deducendum sibi sumit. *Doctiff. La Crozio* etymologia a *Lican*, *Leiken*, *Lëchan*, *Lecken*, *lingere*, placuerat. *Priscus* enim temporibus medici vulneribus sanandis non manus tantum, sed et

B

ora

ora admouebant, vti Machaonis exem̄lo apud Homerum Il. IV. videre est. Apud Germanos, teste Tacito de M. G. c. 7. foemina maritorum suorum plagas nec numerare nec exfugere pauebant, Codices quidam ibilegunt exigere. At nec a perforando, nec a lingendo, nec cum Iunio, ab Anglosaxonum *Lac* vel *Læc*, donum, aut a Græcorum *ἀνεομῆσανο*, sed ab herbis deducendum est hoc medicorum nomen. Ab herbis enim Medici primam atque præcipuam vim medicam ceperunt. Germanis herba, et olera dicuntur *Lacha*, *Lauch*, *Look*, Anglofax, *Leab*, *Leac*, cum quo conuenit Græcorum *λαχων*, hinc adeo Medicus *Lach*, Anglis *Læc*, *Læce*, *Læcekræft* vis medica et alia. Eundem in modum a *Wurz*, *Wurza* herbis, oleribus Medici Germanis etiam dicti *Wursari*, a *Grade*, herba, *Græder*, *herbarii*, quæ nomina recte etiam inde iam deduxit *Rosbius*. En aliud linguae Helueticae spoliū! Tigurinis morum censores, legumque custodes, vocantur *Egaumer*. *Ee*, aut *Eua* antiqua nostra lingua, uti constat, denotat legem. *Gaumen*, vel *Goumen*, custodire Vocem hanc Heluetis vlitatam legimus in antiqua iuris iurandi formula, quæ Turici die quodam solis, *Schwer Sontag* dicto, consulibus prælegitur. Iusiurandum huius carminis est: *Ihr Herren Burgermeister sollet schwaren Gottes heiligen Namens Ehre der Stads Schutz und Ehre, der heiligen christlichen Kirchen, Ehre, der Landschafts Ehre ratend und frommen zu seyn, und zu vergaumen, und darin euer best und wegstes zu thun, als fern ihr wægen, und zurichten, was vor euch komt, dem armen als dem reichen, vnd dem reichen, als dem armen, niemand zu lieb noch zu leid und darum kein Mierb zu nehmen, und zu verschweigen, dauon Schaden, Gepraesten kommen mag, es werde verborhen, oder nicht ohne alles Gefehrd. Gepraesten ibi damnū, Weger et Wegest. melior, optimus. Frommen prodesse, Mierb Donum, Germanis quondam. Islandis adhuc *Murba*, vnde *Murb*, aut *Maurb*, *reloniuum*, *Murter* *relonarius* *Murterampt*. *Murterfrenel* *Murtergeld* et alia Præcis temporibus inter Germanos teste Tacitoc. XV. *Mos* erat *siuitaribus vtro ac vititum conferre Principibus vel armentorum vel frugum, quod pro honore acceptum, necessitatibus subueniebat*. *Grauita* igitur erant eorum tributa, quamuis deinceps illa necessario soluenda essent, mansit tamen donorum nomen, vnde *Behre* *præcarium munus* et nostrum *Murb*, aut *Maurb*. In munimentum publicanorum tabernarum turres sæpius exstruebantur, *Maurtsburm*, aut *Mauserburm* hinc dictæ, *Fuitalis* quondam *Rhenopetra*, et alia haud procul a *Basilea*, est ad huc*

huc hujus nominis turris ad Bingium, nomen ibi fabulam dedit de Hattone a muribus comesto.

(d) Notatam hanc vocem deprehendimus in Glossis Theoticis quas ex Bibliotheca Florentina *Eccardus* inferuit Tomoll *Comment. de Rebus Franciæ Orientalis* p. 977.

§. VIII.


Congruit igitur Celtarum nomen cum Gallorum appellatione. Celtæ etiam Galli appellabantur. Denominatio hæc, non Romanæ, sed Gallicæ est originis. In peruestigando hujus nominis significato eodem tramite iam procedere possumus. Galli propria, atque nativa sua pronuntiatione se vocarunt *Gaules*. *Gaul* Germanis denotat equum. Græcis γαυλον, et γαλια sunt nauigia penè rotunda. Mittimus alia. A voluendo, Germ: *Wallen*, aut *Gualten* deducenda sunt hæc nomina, vnde etiam viri doctissimi Gallorum nomen deduxerunt.

§. IX.

Apprime hæc notio conuenit Celtis. Qui enim ex his oris alienas perebant terras se peregrinantes vocabant, Gallos scil. aut Celtas, vel ita ab aliis appellabantur, vnde et omnis illa terra, ex qua peregrinantes isti aduentabant, eorum nomine insigniebatur. Ita nomina gentium sæpius eualere solent. Exemplo nobis iam sint, quæ *Tacitus*. c. 2. de nomine Germanorum refert: *Germaniæ vocabulum recens, ac nuper additum, quoniam, qui primi Rhenum transgressi Gallos expulerint, ac nunc Tungri tunc Germani vocati sint. Ita nationis nomen, non gentis eualuisse paulatim ut omnes primum a victore ob metum mox a seipsis inuento nomine Germani vocarentur.* Exemplo simul esse potest Francorum appellatio. Vbi enim Franci innotuerunt, omnis Germania Francia vocabatur. Et si iam Musæ gradum ad Parnassum reuocarent, sedemque sibi inter Turcas figerent! Francorum nomen mox latius in historiis regnaturum esset, quam Celtarum appellatio.

B 2

Hæc



Hæc iam præfanda erant Orationi d. XII Iulii habendæ, qua linguæ veteris Scythogermanicæ in explicanda Græcorum, atque Romanorum mythologia vsum exemplis quibusdam demonstrabimus. Ad quam orationem beneuole audiendam Magnificum Academiae Rectorem, Illustrissimos Comites, Spectatissimos Scholæ Frid. Reg. Curatores, pie colèndos, Celeberrimos Academiae Proceres, Senatum Amplissimum, et quotquot in hac urbe Musis nostris bene cupiunt, singulos, ea qua decet, obseruantia inuitamus. Scribeb: Francof. ad Viadrum d. IX Iul. MDCC. LVI.





~~155556~~

AB 155 556

X2613330

l





B.I.G.

Farbkarte #13

RTATIO
E
A T I S

IO I.
DE
AVT CELTA-
LLATIONE
VA
LEGE
AE FAMILIAE
ICHIANAE
TIONI
RICIANI MEMORIAM
ORA X. MARTINA
ENDAE
FATVR
SCHVLZE, M.
RICIANAE RECTOR.



VI ad VIADRVVM,
RISTIANI WINTERI,
G. TYPOGR.

